



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 7. Bruno Segniensis ad Ecclesiam suam Cathedralem redit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII. *quam ante te Summum Pontificem colam,*
 A.C. IIII. *& obediam.*

§. VII.

*Bruno Segniensis ad Ecclesiam suam
 Cathedralem redit.*

Tetigit Papam invidiosa epistola, timuitque, ne Bruno Pontificatum sibi auferre moliretur. Quare cum ab Abbatia Montis Cassini, ut minueretur viri auctoritas, amovere statuit. Illi Monasterio Bruno anno quarto præerat; nam Legatione sua in Francia defunctus Casinum rediit, cumque Ottonis Abbatis morte prima Octobris anno millesimo centesimo septimo Abbatia vacaret, per electionem Monachorum ei subrogatus est, & sub idem tempus Paschalis Papa ad Montem Casinum divertens coram toto Capitulo dicere auditus est, Brunonem non modo Cathedra Abbatiali, sed etiam ipsa Sacra Sede dignum esse. Nilominus, accepta ejusdem in causa Investituræ epistola, rescripserat, se amplius non toleraturum, ut Episcopus esset & Abbas. Quippe Bruno adhuc dum Episcopus Segniensis erat, & quamvis instantissime sæpius petiisset, ab onere hujus Ecclesiæ liberari, nunquam tamen Pontifex permoveri potuerat, ad ejus abdicationem recipiendam. Monachis quoque montis Cassini scripsit Papa,
 &

Chron. Cass.
IV. c. 31.

Sup. lib.
LXV. §. 46.

c. 48.

& Epistolam suam Leoni Episcopo Sæcul. XII. A.C. 1111.
 Ostiensi, olim illius monasterii alumno, deferendam commisit, in qua præcipiebat, ut alium Abbatem eligerent. Tunc vero Bruno convocata Congregatione, quemdam Fratrem, cui nomen Peregrinus, Popularem suum, eis Abbatem dare cupiebat; at illi rejecto Peregrino ad Brunonem, *si tu nos regere volueris, inquit, ut hactenus tibi, Patri nostro, semper obediemus. Si vero discedis, libertatem eligendi quemcunque lubuerit nobis relinque.* Credidit Bruno satis virium sibi esse, quibus monachos ad imperata facienda compelleret, armatosque advocavit, qui fratres Ecclesiam ad Misfam celebrandam intrantes occupant, & minaciter interrogant, ubinam illi essent, qui Abbatis sui mandata respuere audent. Verum Monachi imperterriti milites e monasterio ejiciunt, quod ubi Abbas cognovit, convocatis fratribus, *nolo, inquit, inter vos & Ecclesiam Romanam scandali causa esse. Habete vobis Baculum pastoralem, quem mihi olim tradidistis.* Tum Baculo super Altare deposito, monachis valedicit, ac ad suum Episcopatum redit; ubi deinde annis quatuordecim superstes fuit. Bruno Abbatiam Cassinensem annis tribus & decem mensibus rexerat, ejusque Successor Girardus annis undecim præfuit.

Hist. Eccles. Tom. XVI. P §. VIII.